

a Thomanis, et in canticis proterve interpolatus. discimus igitur non omnia quae in Triclinio nos offendunt ipsius esse peccata. contuli triadem et Agamemnonis ea quae Mediceus quoque habet, nam reliqua a Mommseno, Vitellio, Blassio exhausta esse cognovi.

G. Venetus Marcianus 616, saec. XV (interciderunt Ag. 46—1033), gemellus Florentini, sed multo deterior. inspexi Venetiis habeoque aliquot foliorum photographemata, plura apud Hermannum prostant, cui Ven. B audit, pauca apud Wecklinum. non existimavi dignum, quem totum denuo conferrem.

E. Romanus bibliothecae *Vittorio Emmanuele* gr. 8 saec. XV laceratus. quem cum Vitellius indicasset, mihi contulit Hilda Montesi phil. dr. unam continet Agamemnonem, crederesque ex Florentino descriptum, cuius scholia quoque inesse Montesia affirmat, nisi pauci loci obstarent.

GE cum eadem quae F aut corruptiora exhibere soleant, plerumque satis habui F pro omnibus appellare.

Agmen claudit Tr. Demetrii Triclinii editio critica, quam ipse sua manu scripsit, quae manus litteras elegantissimas mira constantia pingit¹⁾. codex olim Farnesianus nunc Neapolitanus est II F 31, celeber inde a Victorio, sed per maiorem triadis partem adhuc plane ignotus. totum iussi lucis ope describi et duas adeo paginas (Pers. 944—51 et Eum. principium) in tabulis 2 et 3 propono, neque veritus sum vel ea quae invito Triclinio exciderunt excerpere (quod ne iterum fiat opto). aequum enim videbatur collegam quem honoris causa nomino talem apparere qualem ipse se dedit. cui intellegentes examinatores crimini non dabunt, quod artem criticam non multo cautius administrabat quam „Itali“, qui poetas Latinos pro viribus emendabant. Triclinius sicut codicis P scriba versuum intervalla larga fecit, ut glossas reciperent, scholia in marginibus collocavit minutissimis sed dilucidis litteris picta, sed a converrendis vv. ll., in quibus grammaticus P operam ponebat, abstinuit, quamquam in notis criticis modo ad „plurima“ modo ad „antiqua“ exempla provocat, nec dubium quin multa versaverit. gloriam autem eo quaerebat quod verba Aeschyli emenda, cantica membratim descripta, omnia omnino ita comparata proponebat, ut studium veteris poetae amoenum redderet. dices Brunckiani quiddam in animo eius fuisse. arti metricae cum

¹⁾ Autographum esse codicem vulgo perhibent confirmavitque mihi H. Schultz, cui manus Triclinii ex Hesiodeis nota est.